

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Odium a
cum fonte primo

Tria sunt genera hominum que
odit Deus: remanentem, retro redeuntem,
aberrantem.

Excitandi sunt remanentes,
retro redeuntes reuocandi, errantes in
uiam reducendi, tardi exhortandi, celeres
imitandi. Qui non proficit, remansit in
uia; qui forte a meliore proposito
declinat, ad id quod deterius reliquerat;
reuersus est retro: qui fidem deserit,
a uia errauit.

Augustinus de nouo cantico.

Tria sunt hominum genera quae
odit: remanentem, retro redeuntem,
aberrantem.

Ab his tribus generibus malis, Domino
adiuuante, uindicetur et defendatur
gressus noster. Iam uero cum ambulantes
sumus, alius tardius ambulat, alius
celerius, ambo tamen ambulant.

Excitandi sunt ergo remanentes,
retro redeuntes reuocandi, errantes in
uiam ducendi, tardi exhortandi, celeres
imitandi. Qui non proficit, remansit in
uia: qui forte a meliore proposito
declinat ad id quod deterius reliquerat,
reuersus est retro: qui fidem deserit,
a uia errauit.

Quoduultdeus, *De cantico nouo*, 4, 1-3
(CCSL 60, R. Braun ed., p.385, ll.1-10).